

Visum rectam lineam esse, qua media cuncta extremis correspondent. Quaeque videntur per rectam lineam spectari, planum atque [BNP 63v] receptum esse oportet.

Ego lectores beneuoli non sum adeo arrogantis ingenii, vt me praedicta Postulata intelligere profitear, que hoc loco ab Euclide iis que nunc in medium adduximus subiiciuntur. quinetiam multa in iis esse que me fugiant, et que oculatiores me longeque doctiores non praeuideant libens agnosco. Ea tamen vti sequentibus sunt necessaria, ne inutilis hic labor noster videatur, interpretari tentabo, vt iuxta primatum Mathematicorum consuetudinem (que noster scopus est) haec Postulata ita suscipiantur, vt in his nullus haesitet, nec in aliam quam a nobis explicabitur sententiam expetantur, que vt spero nostra interpretatione peruiam vobis ad demonstrationes propositionum sequentium intelligendas facultatem efficient, que adeo corruptae mendosaeque leguntur, vt ex his nulla vobis possit intelligendi ansa praeberi. Quare nouas omnino demonstrationes excogitare decreui, quas pro meo in studiosos omnes amore malui vobis communes facere, quam longa atque assidua diligentia expolire. Propositi igitur Postulati (ut ad rem deueniam) prior pars quantum ipse conicio visus diffinitio est quam sic intelligo.

Visum rectam esse lineam qua ordine quodam intercepta media inter visum remque visam dinoscuntur. Siue enim visus ex oculis emicare, aut a visili ad oculos peruenire credamus, que instituto controuersia nihil confert. Visu tamen vt experimentis facile quis explorabit, non tantum extremum (hoc est visile) velut si saltu quodam visus in rem visam insiliret videtur, sed [Stralsund 67v] successu ordine quecunque intermedia sunt discernuntur, vtsi in recta linea visuque .abcd. 4 signa ordine posituque designes, oculumque in .a. statuas, qui .d. obiectum peruideat necessum est vt .bc. intermedia [BNP 64r] eodem visu cernantur. Reliqua verba que his adiiciuntur premissam explicare videntur diffinitionem. Sed quia his tanquam postulato in aliam sententiam vtitur, longe aliter sentiendum est. Vnde vt hoc postulatum presenti instituto accomodemus, de iis que visu reflexo videntur intelligamus omne speculum situm in plano aliquo. At in proposito Speculum voco signum a quo reflexio fit. Si igitur in subiectum planum in quo Speculum situm est ab oculo, et obiecto visili per vndecimam vndecimi bis repetitam perpendiculares agantur necessum est illa tria signa, puta punctum reflexionis et duos actarum perpendicularium terminos, in eadem esse recta linea. Postulat ergo iuxta hanc expositionem in primis.